

COMMENTARIA

IN

SOPHONIAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Sophonias hebraice idem est quod *speculator Domini*. Radix enim *ספן* *tsapo* significat speculari: *ספן* in est nomen Dei, puta per crasin idem quod Jehova: vel *absconditus Domini*, a radice *ספן* *tsaphan*, id est abscondit. Qui enim speculari volunt divina, uti Propheta, necesse est ut mentem oculosque avocent a terra, eosque in Deo abscondant. « Sophonias, ait S. Hieronymus *ad Paulinum*, speculator et arcanorum Dei cognitor, audit clamorem a porta piscium, et ejulatum a secunda, et contritionem a collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pile: quia contieuit omnis populus Chanaan, disperierunt universi qui involuti erant argento. » Idem hic: « Sophonias, ait, Propheta, nomine (ut ita dicam) propheticus, et gloriosa majorum suorum stirpe generatus est. Habuit enim patrem Chusi, avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam, et talem quadrigam ipse velut extremus auriga complevit. Nomen Sophonie alii speculam, alii arcanum Domini transtulerunt. Sive igitur specula, sive absconditum Domini interpretetur, utrumque Propheta convenit. Dicitur enim ad Ezechielem: Fili hominis, speculatore te dedi domui Israel. Iste ergo Propheta, qui erat in specula et in sublimibus constitutus, et noverat mysteria Domini, filius erat Chusi, » etc. Porro S. Epiphanius in *Vita Sophoniae*: « Sophonias, ait, propheta a monte Sarabatha, e tribu ad prosapia erat Simeon. Is quoque de Hierosolyma prophetavit, nempe quod multo foret satius, si in longum latumque edificaretur: super consumptione etiam gentium, nec non et super confusione impiorum, deque adventu Domini. Vitam morte commutavit in apocalypsi Domini; et solitarius in arvo suo funeratus est. » Eadem habent S. Dorotheus et Isidorus in *Sophonia*. Denique Sophonias Sanctorum catalogo adscriptus legitur in Martyrologio Romano die 3 decembris.

Prophetavit tempore Josie regis Juda, ut ipse ait cap. 1, 4, qui fuit rex piissimus, fidemque et cultum veri Dei, eversis excelsis et idolis, in

Jerusalem restituit (1). Eodem tempore prophetavit Jeremias, ut ipse ait cap. 1, 4, et Holda prophetissa, IV Reg. xxii, 14. Tradunt Hebraei, et ex iis Arias, Vatablus et a Castro, Jeremiam prophetasse publice in plateis, Sophoniam in synagogis, Holdam in castris mulierum: licet Ribera id ridiculum censeat, et rideat. Praecessit ergo Sophonias Ezechielem et Danielelem, qui sub Joachin nepote Josiae, ut patet ex eorum exordio, prophetarunt. Hinc sequitur Sophoniam prophetasse post vastatam Samariam et captivitatem decem tribuum (hæ enim in Assyriam abductæ sunt anno sexto Ezechiae, qui fuit atavus Josiae), ac consequenter eum vaticinari solis duabus tribubus reliquis, puta Judæ et Benjamin. Hæc ergo hortatur ad penitentiam, præsertim ut relictæ idololatriæ ad Dei cultum redeant: ni id

(1) Cum autem Josias 31 annis regno præfuerit, disceptatum magnopere est inter viros doctos, num sub regni primordiis, et antequam sacra repurgare rex pios incoepisset decimo octavo imperii anno, an vero post restauratum cultum Jovanum Zephania quæ hoc libro continentur, cecinerit? Qui prius contendunt, hæc imprimis ratione moventur, quod acerrime Nostri increpationes, et vividæ superstitionis cultus ac profanorum rituum descriptiones in ea tempora quadrent, quibus sacros leges Josias. Verum quod Noster Basilic cultus reliquias commemorat (1, 4), atque perversam legis interpretationem taxat (in, 4), satis arguit et Jovanum cultum editi hujus vaticinii tempore restitutum, et legem, postquam diu oblivione sepulta delituisse, repertam atque sacerdotum manibus et usu tritam. Neque credibile est, pii regis studium id efficere potuisse, ut pristina superstitionis atque impietatis vestigia prorsus evanescerent. Ita Rosenmüller. Maurer certius indicari posse quibusnam regnantis Josiae annis Zephania exstiterit ita probat: « Nam cum n. 13, Niniven deletum iri dicitur, ea vero urbs sit deleta a Nabopolassare et Cyaxare anno ante Christum 635, regnantis Josiae 18; sequitur, ut scripserit Zephania, ante hunc annum. Item, quod 1, 4, extirpanda dicuntur reliquias Baal, indicio est, in lucem emissa oracula esse inter ceptam ab Josia et perfectam aiorum emendationem, id est 13 inter et 18 regis Josiae annum, 631 inter et 625 ante Christum, II Chron. xxxiv, 3.

ARGUMENTUM IN SOPHONIAM PROPHETAM.

271

faciant, minatur eis inevitabile exidum per Nabuchodonosorem, æque ac Ammonitis, Moabitibus, Æthiopibus et Assyriis. Tandem consolatur eos spe liberationis et reditus e Babylone, ac magis promissione Christi liberatoris, qui per suam incarnationem omnibus gentibus salutem afferet, inquit Theodoretus, dando Evangelicam legem, in qua tam Gentes quam Judæi sancte et feliciter sint victuri usque ad finem mundi diemque iudicii, quando Judæi alique infideles, qui Christum recipere noluerunt, damnabuntur, et æternis gehennæ penis addicentur. Censet Ribera Sophoniam prophetasse primis octodecim annis Josiae: nam anno 18 Josias templum et populum ab idolis emundavit, et Deo reconciliavit, ita ut deinceps populus sub eo non coluerit idola, quæ hic redarguit Sophonias. Verum hæc ratio non concludit certo. Nam Jeremias cepit prophetare anno 13 Josiae, et perrexit continue sub eo detonare contra idola: quia licet ea publice a Josia essent abolita, privatim tamen adhuc a multis retinebantur et colebantur. Ita S. Hieronymus. Sophonias ergo ex alta revelationis divine specula, eminus speculatur diem exidii urbis Jerusalem, et allegorice orbis universi. Unde inelamatur diem illam fore tribulationis et angustie, diem calamitatis et miserie, diem tenebrarum et caliginis, diem nebulæ et turbinis, diem tubæ et clangoris, ut ejus terrore et horrore omnes impellant ad penitentiam, lacrymas et preces, æque ac facit Joel, cui similis in stylo et patho est Sophonias, atque Jeremias, cujus quasi compendium et abbreviator est Sophonias, inquit Isidorus. Utrumque imitetur cionator, qui non aures vult scalpere, sed esse malleus Domini conterens petras, saxea, inquam, peccatorum pectora. Id facit, si discat esse Sophonias, si in specula cum Deo versetur: ibi enim videbit quis quantusque sit Deus, ac despiciet hoc terre punctum, et quæcumque in ea punctula sunt despuet.

Præclare Seneca *epist. 41*: « Quemadmodum, inquit, solis radii contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus est sacer, et in hoc demissus, ut propius divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ: illinc pendet: illuc spectat ac nititur. »

Præclarius S. Gregorius homil. 11 in *Ezechiel*: « Cul, inquit, aliena cura committitur, speculator vocatur, ut in altitudine mentis sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, ut quidquid venturum est, longe prospiciat. Et quisquis populi speculator ponitur, in altum debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. Hinc Propheta alius speculatorem admonet dicens: Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion, *Isaie xlviii*: ut videlicet qui predicationis locum suscipit, ad altitudinem bonæ transeat actionis, ad excelsa transeat, et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat (1). »

(1) Stylus hujus Prophete licet non sit humilis, planus tamen et simplex, neque ad Isaianæ aut Basiliæ orationis elegantiam, gravitatem atque sublimitatem assurgit. Cum Jeremia aequali suo, et cujus abbreviator creditur, et universum sermonis faciem, et singulas adeo dictiones ac loquendi formulas communes habet; Ezechiel aliquoties est imitatus. Vide 1, 18, coll. *Ezech. vii, 19*; *Sophon. ii, 4*, coll. *Ezech. xxxii, 20*. Lingue hebraicæ, qua scripsit Sophonias, nonnulla verba exotica admixta sunt. Ita John. Rosenmüller, Lowthius, De Wette, Eichhornius.

Sophonias vaticinia seorsim hisce illustrata sunt commentariis heterodoxorum: Martini Bucer, *Sophonias ad veritatem hebraicam versus*, etc., Argentor. 1533; — Jodoci Lareni, *Tuba Zephaniae*, Medioburgi, 1633; — Brandani Henr. Gebhardi, *Zephaniae a pseudheremia Abanbenet aliorumque vindictas*, etc., Gryphiswald, 1701; — Jo. Arn. Noltenii, *Dissertatio ægyptica in prophetiam Zephaniae*, Trajecti, 1719; — Car. Frid. Cranzii, *Commentar. in Zephania vaticinia*, etc., Hamburgi, 1777; — Dan. a Colln. *Spicileg. observ. exæget. critic. in Zephania*, Uralis. 1818.

Præclarius
Sophonias, id
est speculator.

Quando
prophetavit?

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Deus excidium Hierosolymæ, ob incolarum peccata, per Chaldeos quasi sanctos sacerdotes, qui impios Judæos, quasi hostiam, justitiam et vindictam suam immolant. Unde, vers. 10, Judæorum clamorem et ululatum describit: quia, inquit, scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in facibus suis. Denique, vers. 14, acerbitatem hujus diei representans ait, hanc diem fore diem calamitatis et miserie, æque ac iræ et zeli Dei, a qua nemo se per aurum vel argentum redimere poterit (1).

1. Verbum Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godolæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ filii Amon regis Judæ. 2. Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus: 3. congregans hominem et pecus, congregans volatilia cæli et pisces maris: et ruinam impiorum erunt: et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus. 4. Et extendam manum meam super Judam, et super omnes habitantes Jerusalem: et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina ædificatorum cum sacerdotibus; 5. et eos qui adorant super tecta militum cæli, et adorant, et jurant in Domino, et jurant in Melchom. 6. Et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quassierunt Dominum, nec investigaverunt eum. 7. Silete a facie Domini Dei: quia juxta est dies Domini, quia preparavit Dominus hostiam: sanctificavit vocatos suos. 8. Et erit: in die hostiæ Domini, visitabo super principes, et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina: 9. et visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa: qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo. 10. Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium, et ululatus a secunda, et contritio magna a collibus. 11. Ululate, habitatores Pile: conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento. 12. Et erit in tempore illo: scrutabor Jerusalem in lucernis: et visitabo super viros defixos in facibus suis; qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, et non faciet male. 13. Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum: et ædificabunt domos, et non habitabunt: et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum. 14. Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. 15. Dies iræ die illa, dies tribulationis et angustie, dies calamitatis et miserie, dies tenebrarum et caliginis, dies nebule et turbinis, 16. dies tubæ et clangoris super civitates mutas, et super angulos excelsos. 17. Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt: et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercorea. 18. Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

(1) Pars hujus prophetiæ quam emendatior vocamus, a cap. 1 usque ad vers. 8 cap. III, protenditur. Incipit a comminatione proponente, Primo, generale decretum de extirpandis improbis, 2, 3;

Secundo, speciale decretum circa Judam et incolas Hierosolymæ, 4: primo, designando commissa scelera pœnas provocantia, nempe idololatriam, 4, 5; aversionem a Deo ejusque neglectum, 6; contemptum legum divinarum et consuetudinum patriarum, 8; profanationem templi per substitutionem, iniquitatem aut defractionem, 9; secundo, denuntiando propinquitatem vindictæ, 7; tertio, describendo stationes et loca vindictæ exercendæ, 10-13; quarto, exaggerando asperitatem suppliciorum, 14-16; quinto, notando extremum hominum et facultatum excidium, 17, 18.

Vers. 1. 4. AD SOPHONIAM FILIUM CHUSI. — « Tradunt Hebrei, ait S. Hieronymus, cujuscumque Prophetæ pater aut avus ponatur in titulo, ipsos quoque Prophetas fuisse. Unde et Amos unus de duodecim Prophetis, qui dixerat: Non sum Propheta, nec filius Prophetæ, sed pastor caprarum vellicans sycamoras, patris nomen in titulo non habet. Hoc si verum est, Sophonias gloriosa majorum suorum stirpe generatus est. » Deinde symbolice nomina singulorum explicans: « Sophonias, inquit, qui erat in specula et in sublimibus constitutus, et noverat sublimia Domini, filius erat Chusi, qui interpretatur humilitas. Habebat quoque avum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini: et proavum Amariam, qui et ipse vertitur in sermone Domini: et atavum Ezechiam, qui sonat fortitudo Domini. De fortitudine itaque Domini natus est sermo Domini, et de sermone Domini nata est magnitudo Domini, et de magnitudine nata est humilitas (viri enim sapientes et sancti quo magis a Deo illuminantur, et tolluntur in altum, eo magis cognoscunt Deum esse omnia, se vero nihil, ideoque magis se sub eo humiliant et deprimunt) ut, cum perveniret aliquis ad perfectum dicit: Quia non sum dignus vocari apostolus. Et illud in Psalmis: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. » Hanc Hebræorum traditionem sequuntur Albertus, Haymo, Remigius, Lyranus, Hugo, Vatablus, Dionysius et alii passim: quia tunc cum propagatione generis fiebat propagatio religionis, ait S. Augustinus, et ex eo Albertus. Verum an hæc traditio per omnia vera et certa sit, discussi in Proœmio. Sufficit hoc loco dicere hosce patres et avos Sophoniæ fuisse claros et illustres, undecumque id acciderit, ideoque hic nominari. Ita Vatablus.

EZECH. — Rabbinii censent hunc esse Ezechiam regem Judæ, ita ut ejus abnepos fuerit Sophonias. Verum id impugnat Ribera, a Castro et alii: nam hoc non tacuisset Sophonias, qui ex genere hie sibi auctoritatem conciliat. Adde: Scriptura, IV Reg. xx 21, et Josephus lib. X Antiq. III, non alium Ezechie regis filium assignant, quam Manasse (1).

Vers. 2. 2. CONGREGANS CONGREGABO OMNIA A FACIE TERRE, — g. d. Certo et omnino coacervabo et colligam in captivitatem et interitum, tradendo Chaldeis omnes incolas et omnia prædia terræ hujus, scilicet Judææ. Loquitur enim de strage et captivitate Judæ, non aliarum gentium; « omnia » ergo, scilicet homines, pecora, volatilia et pisces maris, uti explicans subjungit. Unde Tigurina ver-

tit: *Conficiendo conficiam omnia; Vatablus: Perdendo perdam; Complutensis: Consumens consumam; alii proprie: Colligam ut perdam, congregabo ut factam defecere.* Quocirca Septuaginta vertunt: *Defectione deficiet homo et jumenta.* Ubi nota: Defectio, mors, interitus in Scriptura vocatur collectio. Causam dat noster Pineda in cap. xxxiv Job, 14, num. 3: Quia, inquit, cum a Deo derivetur omnis vita rerum viventium, quod in illa simplicissima Dei vita unitum est et collectum, hoc per exitum ad creaturas videtur dividi, et depergi in multa viventia. Rursus, cum vita auferatur viventibus, videtur id quod erat divisum in viventibus atque dispersum, uniri et colligi in suo principio, et vita illa participata revocari ad primam vitam et fontem vivendi. Unde colligere idem est quod disperdere aut perire, eo quod cum vita auferatur viventibus, illaque pereunt, videtur illa ipsa vita congregari et rursus colligi in Deo, ut « spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, » Eccles. cap. xii, vers. 7. Rursus res omnes et animantia, excepto homine, cum intereant, congregantur et redeunt in suam abyssum nihili, ex qua Deus eas creando ad tempus eduxit.

3. VOLATILIA CÆLI ET PISCES. — Quia, ut ait S. Hieronymus, « vastatis urbibus, et hominibus infectis, solitudinem et raritatem bestiarum quoque fieri, et volatilium pisciumque, testis est Illyricus, testis Thracia, testis in quo ortus sum solum, ubi præter cælum et terram, et crescentes vepres et condensa sylvarum, cuncta perierunt. » Addit Sanchez perire dici ea quorum non est usus, g. d. Vobis, o Judæi, in Babylone captivis peribunt aves et pisces Judææ, quia eas amplius aucupio capere et expiscari non poteritis.

Symbolice, Albertus per homines accipit cives, per pecus rusticos, per volatiles principes et arrogantes, per pisces gulæ et veneri addictos; pisces enim semine et fœtu luxuriant.

ET RUINAM IMPIORUM ERUNT. — Pro ruina hebraice est מַחֲשֹׁלֶת *machscheloth*, id est ruina, lapsus, offendiola, scandala: per que primo, Chaldeus active accipit idololatriam et scelera, in que Judæi prolapsi scandalum aliis gentibus dederunt. Unde vertit: *Conficiam avem calorum, et pisces maris, eo quod multiplicatum sit offendiolum impiorum.* Hinc et Vatablus vertit, *offendiola viventium improbos*, id est, improbi idololatras ob suam impietatem dabunt gravissimas pœnas. Alii, *congregabo scandala*, id est idola, impiorum, eaque cum impiis traducam in Babylonem. Secundo, alii passive hæc accipiunt. Unde Noster vertit, *ruina impiorum erunt*; et Septuaginta, *infirmabuntur impii*; alii, *corrumpent impii*.

4. DISPERDAM — funditis. Hebraice enim est *חִכְרַתִּי* *hichratti*, id est *excindam*; Septuaginta, *auferam*; Chaldeus, *delebo*; Pagninus, *succidam homines de superficie terræ*.

DISPERDAM RELIQUIAS BAAL. — puta reliquias tem-

plorum, altarium, idolorum, sacerdotum, cultorum et cultus Baal.

NOMINA AEDITUORUM CUM SACERDOTIBUS. — *q. d.* Disperdam aeduitos et sacerdotes Baal, adeo ut deinceps non nomen aut fama supersit. Sic ait Poeta:

Noli
Respicere ad fumos, et nomina vana Catonum.

Secundo, « nomina aeduitorum » sunt ipsi aedui, nomine suo nominati, ut sit metonymia.

Aeduitus vocatur minister templi Baal, ita diotus, non quasi adolens thus, ut aliqui volunt, sed quasi sacre aedis tutor, id est curam agens, inquit Festus. Aeduitor enim idem est quod aedutheor. Idem dictus est Aedutimus, quasi aedis intus, ait Festus: licet Cicero in *Topici*, in *fini-*

timo, legitimo, aedutimo, censat non plus esse *timum*, quam in medullis *tulium*, scilicet utrumque tantum productionem esse nominis. Vide Gellium lib. XII, cap. x. Lucetius, lib. VI, hosce vocat Aedutentes, quasi aedui tuentes. Sic jam Roma quodque templum suos habet aeduitos, quorum officium est templum, ejusque suppellectilem, vestes et vasa custodire, mundare, ornare; dare hostias, vinum, ministros, aliaque ad sacrificium necessaria, peregrinos excipere, martyrum reliquias et monumenta ostendere, etc. Hebraice vocantur כֹּהֲנִים *kamarim*, *q. d.* Accensores ignis et thuris, thurificatores, a radice כָּהַן *kamar*, id est accendit, usui, exarsit. Horum ergo officium fuisse videtur thurificare, et quasi diaconos subservire sacerdoti victimas mactandi. Unde IV Reg. XXII, 5, dicitur: « Delevit (Josias) kamarim, quos posuerant reges Juda ad sacrificandum, » hebr. כֹּהֲנֵי לִקְרֹא *leqatter*, id est ad suffragandum, vel adolendum thus, « in excelsis. » Alii, ut Vatablus et Marianna, volunt dictos *kamarim*, quasi exustos, id est atros, ab atro et pullo vestitu. Unde Pagninus verit: *Qui nigros induunt vestes*. Hebraeorum enim sacerdotes erant candidati: sacrificabant enim tunica linea induti, *Exodi* XVIII, 40, reges ac Egyptii, qui inde *Uniger* sunt dicti, ut dixi *Jerem.* XIII. Sic et in sacris Eleusine decem sacerdotes amicti albis, docet Tertullianus lib. *De Pallio*. Ita Sanchez. Alii, quod essent inclusi quasi monachi in monasteriis. Ita Marinus in *Lexico*, qui censei *kamarim* esse vocem chaldaicam. Alii, a stigmatibus, quae in facie et in corpore iusta gestabant. Alii, ab ardore devotionis, quo erant accensi in sacris suis peragendis. Verum primum quod dixi verius videtur. Similes hisce fuerunt apud Gentiles Romae virgines Vestales, et magis in Cappadocia magi, dicti Pyrethi, a pyra, id est igne, eo quod *pyr*, id est ignem sacrum, servarent et foverent, ne quando exstingueretur, cum certis precibus et ceremoniis, ut docet Strabo lib. XV. Quocirca *kamarim* videtur fuisse similes et aemuli aeduitorum, quos Deus jussisset servare et fovere noctu dique ignem sacrum, quo comburende

erant victimae, *Levit.* VI, 12; quo pariter igne quotidie, tam mane quam vespere, thymiana erat incensandum et adolendum Deo, *Exodi* XXX, 7. Itaque *kamarim* officium erat, primo, ignem sacrum perpetuo accensum servare et nutrire: indeque rursum vocantur a Prophetis per irrisorem *kamarim*, id est exusti, fuliginosi et alii, *q. d.* Carbonarii, qui ab igne et carbonibus denigrati, Aethiopum vel demonum habent colorem et formam. Secundo, thus adolere idolis, ut patet IV Reg. XXII, 5. Tercio, subservire sacerdotibus in sacrificiis. Unde a sacerdotibus hic, quasi eorum ministri et diaconi secernuntur et distinguuntur. Ait enim: « Et nomina aeduitorum cum sacerdotibus, » utique non Dei, sed Baal, inquit Remigius, Albertus, Ribera et alii; licet S. Hieronymus cum suis assensu sacerdotes hic veros veri Dei accipiat, sed eos duntaxat qui simul cum Deo colebant idola, quos insectantur Ezechiel cap. VIII, 3 et seq., de quibus IV Reg. XVII, 31, 33. Factor tamen aliquos ex hisce *kamarim* fuisse sacerdotes: ita enim vertunt hic Septuaginta. Adde thurificare, quod erat officium *kamarim*, est quoddam sacrificare. Primum enim veterum sacrificium fuit oblatio et incensio thuris. Unde et thymiana Deo vero, quasi sacrificium his quotidie adolebatur in altari thymiamatis; quin et in omni sacrificio carneo, puta ovium, caprarum et bovis, Hebraei jussu Dei imponebant et adolebant thus, ac per hoc significabant victimam hanc dari et sacrificari Deo, ut patet *Levit.* II, 1. Videtur ergo hi *kamarim* apud Gentiles fuisse id, quod apud christianos, praesertim Romanos, sunt aedui, qui curam habent templi, altarium et sacerdotum: inter quos alii sunt sacerdotes, alii clerici, quibus praesunt canonici, quorum caput est decanus, praepositus, vel episcopus. Munia ergo *kamarim* erant, templum custodire, aperire, claudere, purgare, ornare, advenas docere ceremonias et cultum Baal, sive idoli et dei sui, oblationes excipere, dies festos adornare, choros canentium et choreas salientium ordinare, imo preire more iuventutis et bacchantium. Unde S. Hieronymus *kamarim* verit fanaticos, quasi enthusiasmo actos, et demonis spiritu afflatos. Hinc Oseas cap. x, 5, ait: *Et kamarim ejus qui de illo exultabant*; ubi habent Hebraei. Alludit enim vox כָּהֵן *kamar*, unde *kamarim*, ad כָּהֵן *chamar*, quod significat turbare instar ebrii et insani, vel instar vini fœculenti, mixti et turbidi, indeque bacchari et insanire.

5. EX EOS QUI ADORANT SUPER TECTA. — quae in *Ver.* 5. Judaea et Syria etiamnum plana sunt, quasi tabulata sub dio, in quibus incolae ambulant, prandunt, cenant, imo et in aestate noctu dormiunt, ut mihi Romae viri graves, lique oculati testes narrarunt. Haec ergo tecta consensabant Judei astricoles, ut ex his libere et plane contemplarentur et adorarent « militiam caeli, » puta solem, lunam, luciferum, aliasque stellas et astra: quae

quia multa sunt, et ordinata instar exercitus, motuque suo, loco et ordine stato incedunt instar aciei instructae; hinc vocantur militia caeli, cuius rex est sol, regina luna, signifer Venus, sive Lucifer. Hinc Judei dicunt Jeremiae (qui Sophoniae fuit synchroon et coaevus), cap. XLIV, 25: « Faciamus vota nostra, quae volumus, ut sacrificemus reginae caeli (id est lunae) et libemus ei libamina. » Et cap. VII, 18: « Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginae caeli, » quibus ipse denuntiat cap. x, 2: « A signis caeli nolite metueri, quae timent Gentes, » *q. d.* Nolite colere astra caeli, quae colunt Gentes. Timere enim in Scriptura est colere, revereri, adorare. Vide quae illis locis annotavi. Sic apud Gentiles multi fuerunt collicolae et sollicolae, aestimantes coelum, solem et sidera ob pulchritudinem, celsitudinem, magnitudinem, influxum, ordinem et splendorem esse animata, esseque numina, quos deitantes Job cap. XXXI, 26: « Si vidi, ait, solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare: et latitatum est in abscondito cor meum, et osculatum sum (id est adoravi ea, osculando) manum meam ore meo. Quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum. » Et Sapiens cap. XIII, 2 et 3: « Solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciunt quanto his dominator eorum speciosior esset; speciei enim generator haec omnia constituit. »

ET ADORANT, ET JURANT IN DOMINO, ET JURANT IN MELOCHOM. — Jurant tam per Melchom, quam per Deum verum: quia utrumque ut numen colunt et adorant. Juramentum enim est actus latitiae: dum enim juramus per aliquem, hoc ipso confitemur et protestamur ipsum esse primam et increatum (haec enim sola est infallibilis) veritatem, ideoque esse Deum.

Taxat Judaeos, quod cum Deo vero colerent deos gentium vicinarum, puta Melchom deum Ammonitarum. Ita Theodoretus, Remigius, Albertus, Hugo et Lyranus. Nota, *in Domino*, quatenus refertur ad *jurant*, idem esse quod per *Domini*: quatenus vero refertur ad *adorant*, idem esse quod *Domini*. Hebraei enim verba contactus, sive corporalis, sive spiritualis, qualis est adoratio, construunt cum *beth*, id est *in*, ut credere in Deo, est credere Deo, vel Deum, invocare in nomine Domini, est invocare nomen Domini, etc. Hebraice est, *jurant per Melchom*, id est regem suum; ita Septuaginta, Tigurina, Vatablus et Pagninus, hoc est, jurant per idolum suum, quod pro suo deo et rege habent, ideoque nuncupant illud Melch, Meloch, Melchom, Malcam, id est regem suum. Haec enim omnia unum idemque sunt. Perperam ergo Arias sic exponit, *q. d.* Qui ut regi suo adulerent, aequae per eum, ac per Deum jurant. Nam jurare per regem, est licitum; qui enim per regem jurat, per Deum, qui eum

regem constituit, jurat; uti in simili docet Christus *Matth.* XXIII, 20. Ita Joseph jurat per salutem Pharaonis, *Genes.* XLII, 15, et Theoclitus per salutem Davidis, II Reg. XIV, 19.

6. QUI AVERTUNTUR DE POST TERGUM DOMINI. — *Ver.* 6. puta qui tergum Domini, id est Dominum seculi nolunt, sed ei tergum obvertunt, hoc est, ab eo recedunt, dum eum aversantur et spernunt. Ita Septuaginta; unde Chaldaeus: *Qui avertuntur retrorsum a cultu Domini*; Pagninus: *Qui retrocedunt ut non eant post Dominum*; Tigurina: *Qui a Domino sunt abstracti*.

QUI NON QUASIERUNT DOMINUM, NEC INVESTIGAVERTUNT EUM. — Moraliter, querunt et investigant Deum: primo, infideles et ignorantes, qui inquirunt quis et qualis sit Deus; secundo, peccatores, qui per peccatum Deum Deique gratiam perdidit: hic ponitendo eum requirunt, rogantes ut ad eos et cum eis in gratiam redeat; tertio, egentes et afflicti, qui a Deo opem, puta lumen, consilium, auxilium, robur, directionem poscent. Unde Vatablus verit: *Neque implorant opem Domini, neque consulunt eum*. Sic et Chaldaeus. Sapiens monet Psaltes: « Querite, inquit, Dominum, et confirmamini: querite faciem ejus semper. »

7. SILETE A FACIE DOMINI. — Hoc est, ut Septuaginta, *σώζετε*, id est silentes timete et reveremini Dominum; est metalepsis, vel catachresis: silentium enim reverentiae, timoris, admirationis et stuporis est indicium, ideoque pro illis hic ponitur. Ita Theodoretus. Vide dicta *Habacuc* cap. II, vers. ult. Unde Syrus et Arabicus uterque vertunt: *Timete a conspectu Domini*. Aliter Albertus et Hugo, *q. d.* Obmutescite coram Deo vindice; quia adest dies Domini, quo ipse vos excindet et disperdet. Et Clarius, *q. d.* Silete, id est silenter expectate, et mox videbitis iram et vastitatem Domini. Et Chaldaeus: *Pereatis*, ait, *funditis omnes impij a conspectu Domini*, quasi silere idem sit quod perire et interire. Mortui enim silent: unde locus mortuorum hebraice vocatur דומה *duma*, id est silentium.

QUIA JUXTA EST DIES DOMINI. — Arabicus: *Quia iam prope est dies iudicii*, puta dies justitiae et vindictae Domini exercendae in Judaeos per Chaldaeos. Sic dies iudicii vocatur dies Domini, reliqui sunt dies hominum, quibus agunt quod lubet: sicut dies hebdomadae sunt dies discipulorum, sed sabbatum est dies Iudmagistri, quo totius hebdomadae pensum a discipulis exigit, et diligentes premiat, negligentes vel petulantiae castigat et flagellat.

QUIA PRÆPARAVIT DOMINUS HOSTIAM: SANCTIFICAVIT VOCATOS SUOS. — Est metaphora continua, sive allegoria: stragem enim Judaeorum, utpote impiorum vocat sacrificium, idque publicum et solemne, in quo hostia sunt Judei mactandi: dies sacrificii est dies exedii Hierosolymae et templi: sacerdotes sunt Chaldaei, qui hanc victimam Deo et divinae justitiae immolant. Unde dicuntur vocati

et sanctificati a Deo : quia Deus eos e Chaldea evocavit, suosque quasi milites, imo ministros et sacerdotes, auctoravit et consecravit, quando eos elegit et destinavit Ianones Judaeorum, ut eos quasi sanctam victimam divinae suae vindictae offerrent et jugularent. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Lyranus et alii passim, nisi quod Chaldaeus, Vatablus et Clarius, per vocatos intelligunt non sacerdotes, sed convivas, puta aves et feras, quos Deus ad solemne hoc epulum evocet, ut Judaeorum cadavera a Chaldaeis caesa deorent. Unde Arabicus Antiochenus vertit, *paravit victimas Dominus, et notificavit eis qui sunt convivia sui*; clarius vero Arabicus Alexandrinus, *paravit Dominus mactationem* (id est victimas mactatas ad epulum) et *sanctificavit vocatos*; et Syrus, *paravit Dominus victimam, vel convivium; et invitavit vocatos suos*. Alludit ad votum *עֲוֹרָה* *ehem*, seu anathematis, quo res vel pia, vel impia, tota per mortem, vel civilem, vel naturalem, Deo mactanda et sacraenda erat, de quo plura dixi Levit. cap. ult. vers. 28, et Rom. ix, 9 (1).

Moraliter, disce hic quam injustitia et scelera sint Deo invida, quamque ex adverso justitia et scelus vindicta ei sit chara, cure, honori, voluptati; nimirum perinde ac est sacrificium solemne, vel holocaustum, quod ei tanquam summo rerum Domino offertur, et ab eodem in odore suavitatis excipitur : adeo ut reges et tyrannos, licet infideles et impios, qui hanc vindictam peragunt, vocet suos milites, suos sanctificatos, suos sacerdotes. Hinc isdem per Jeremiam cap. vi, 4, mandat et edicit : « Sanctificati super eam (contra Jerusalem) bellum. » Et *Isaie* xiii, 3, de Cyro et Persis vastaturis impiam Babylonem, ait :

(1) Quos Sophonias Judaeis aliisque imminere dicit hostes, Hitzigius Scythas esse vult, et probare conatur invasionem jam factam (Herodot. I, cv), describere Prophetam, argumentis quorum neutrum valet quidquam, inquit Maurer. Nemo enim, ut merito observat idem Maurer, qui liber ab opinione praepudicata legenti quae dicantur, cap. iii, 14 et seqq., non videbit statim de re futura loqui vatem, eaque incerto, longinquo tempore futura, minime vero de peracta aut presenti. Decet ex historia judicari res quas Prophetae dicunt gestas esse aut geri in presenti; plane absolum vero est, ad eandem revocare quas praedicunt gerendas aliquando. Ne adsint quidem quo tempore loquitur, hostes; multo minus abeant, aut in eo sunt ut abeant, ut de Scythis dicit Hitzigius. Invasores hostes vates minatur, sed sperat idem fore, ut Jova illos propulset. Apud Jeremiam vero qui inivit vult Hitzigius, intelligi videntur Chaldaei, non Scythae. Negat equidem Chaldaeorum imperium jam tunc temporis firmatum fuisse. Quid? respondet Maurer, qui anno regnantis Josie 18 cum Medis poterant propere regnum Assyriorum, eos ejusdem anno 43 nondum additum sibi habuisse timoris plurimum ac potentiae. Quod vero neque a Jeremia in orationibus prioribus, neque ab ipso Sophonia Chaldaei expresso verbo nominantur, causa nulla est alia, quam quod, licet posset cognosci, tamen non poterat per certo dici, in magnis quae tum volebantur rerum Asiaticarum mutationibus, imperium omnium gentium Chaldaeos occupaturos esse. (Maurer.)

« Ego mandavi sanctificationis meis, et vocavi fortes meos in ira mea. » Quin et *Jerem.* xlviii, 10, vindictam hanc impiorum Moabitum, Chaldaeis sub interminatione maledictionis imperat et indicit : « Maledictus, qui facit opus Domini fraudulentem. » Quodnam hoc opus? Audi : « Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. » Ex adverso Sapiens cap. xiv, 7 : « Benedictum est lignum, inquit, per quod fit justitia. »

8. IN DIE HOSTIE DOMINI (excidii Jerusalem, vers. 8. In die hostie Domini) VISITABO SUPER PRINCIPES, ET SUPER FILIOS REGIS — Sedeciae. Nabuchodonosor enim, capta Jerusalem, « jugulavit filios Sedeciae in oculis ejus : sed et omnes principes Juda occidit, » ut dicitur IV Reg. xxv, 7. Ita Lyranus, Arias, Vatablus et alii. Aliiter S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, eorumque sequaces, qui per filios regis accipiunt filios Josiae, et quibus Joachaz abductus fuit in captivitatem a Pharaone, Joachin a Chaldaeis occisus, Sedecias excecatus, Joachin ductus in Babylonem. Verum diem hostie vocat diem excidii, in quo non alius fuit rex Hierosolymae, quam Sedecias, cujus filios quasi hostias mactavit Nabuchodonosor : e filijs vero Josiae nullum fecit hostiam, id est nullum occidit. Nam Joachin non ab eo, sed a latronibus, sive praedonibus Chaldaeorum occisus est.

ET SUPER OMNES QUI INDUTI SUNT VESTE PEREGRINA.

— Primo, aliqui vestem hic intelligunt eam qua idololatras utebantur in cultu idolorum. Unde Judaei, vestem hanc induentes, ipso habitu profitebantur se cultores idolorum, perinde ac qui pileum flavum induit Romae, profitebatur se Iudeum, et qui turbantur, Turcam. Quocirca Chaldaeus vertit : *Qui perstreperunt ad cultum idolorum*. Secundo, Hebraei nonnulli putant taxari hic satellites et ministros principum et nobilium : hi enim solent uti veste varia et diversa a vulgo, in qua gestant insignia sui principis. Tercio, Theodoretus vestem peregrinam exponit, a peregrinis furto vel rapina acceptam, quasi taxet hic furta et rapinas Judaeorum, quibus hospites et peregrinos spoliabant vestibus, iisque se induebant. Quarto, alii vestem peregrinam accipiunt eam quae est allestus sexus, puta si vir induatur veste muliebri, aut mulier virili : quod est contra honestatem, verecundiam et castitatem, ideoque velatur a Deo *Deut.* xxii, 5, et a Concilio Gangrensi sub pena anathematis, ut habetur dist. XXX, cap. *Si qua mulier*. Quinto, proprie et genuine, vestem peregrinam vocat eam quae non erat Judaica, sed gentilitia, puta *Aegyptia*, Philistaea, Ammonitica, Tyria, etc. Taxat ergo hic Judaeorum ambitionem, levitatem, curiositatem, quod vestium novum, peregrinum et gentilitium assumerent, quodque cum vestibus mores et idololatriam Gentium induerent. Ita S. Hieronymus. Idem fere taxat Ezechiel cap. xxiii, vers. 12 et 13, et auctor lib. II *Machab.* cap. iv, 13.

Moraliter, de luxu et vestibus.

Moraliter, hic discant christiani quam Deus oderit vestium novitatem et luxum, quamque cum vindictae et punit; is enim sapit molliorem, fastum, levitatem, inconstantiam defectumque iudicii. Unde talibus recte dicas illud Stilponis ad Craterem : *ὁμοῖα καὶ οὗτοι ἔσονται ἡμεῖς καὶ οὗτοι : videris mihi indigere pallio novo*, vel pallio et mente : *novus enim junctum significat novum; disjunctum vero xai vñ significat et mente*. Ita Laertius lib. II, cap. xii. Q. Curtius lib. ultim., et Plutarchus in *Alexandro*, culpant eum, quod devictis Persis habitum mutavit, vestemque Persicam induerit. Strato, vel, ut alii volunt, Plato dixit Aristippo : « Tibi uni et Chlamydem, et pannum ferre datum est. » Chlamys vestis est satraparum, pannus mendicorum : ipse enim apud Dionysium saltavit in purpura, interdum vili pallio utebatur. Ita Laertius lib. II, cap. viii; unde Horatius : « Omnis Aristippum decuit color. » Ita hodie sunt chameleones, qui omnibus gentibus, locis, sectis, tam in habitu quam in fide et moribus se conformant : sed dum singulis concolores fieri cupiunt, universis discolores et difformes fiunt. Phrygiones sunt, qui fucant tam mores quam colores, de quibus Prudentius in *Hamartigen* :

Additur res, ut illa herbis saturata recocis, illudant varias distincto stamine formas.

Et Martialis :

Victa est
Pectine Nilaco jam Babylonis ens.

Diogenes cuidam glorianti quod leonis pelle vestitus incederet : « Non tu dosines, inquit, virtutis stragula pudefacere? » indignum judicans quod homo mollis Herculis amictum sibi vindicaret. Ita Laertius lib. VI. Idem cum videret juvenem studiosius se ornantem : « Si ad viros, inquit, *ἀνδρῶν*, id est *frustra facis* : si ad feminas, *ἀδελφῶν*, *injusto agis*. Nam frustra mas se mari ornat, cum inter eos nequeat esse conjugium : inique vero agit, si lenocinio suo insidietur feminae. Idem divitem quemdam indoctum, sed splendide indutum, *χρησάμενος*, id est ovem aureo vellere amictum nuncupabat. Demonax cuidam suam purpuram ostentanti : « Heus tu, inquit, hoc ante gestabat orvis, et ovīs erat, » significans illum stupidum esse ut ovem, etiamsi purpuram gestaret. Teribaz Artaxerxes rex vestem suam donarat ea lege, ut ea non indueretur : induit tamen ille, mulieribus etiam donis quae a rege acceperat, insignitum. Tunc res in risum effusus : « Tibi, inquit, mulieri aurum, ut insano regum amictum gestandi jus potestatemque concedimus. » Augustus Caesar, cum per concione multos videret palliatis, indignabundus : « En, inquit, Romanorum domos, gentemque togatam. » Indoluit nimirum Romanos habitum novare et Graecum pallium assumere. Ejusdem haec fuit gnome : « Vestitus insignis ac mollis superbia vexillum

est, nidusque luxurie. » Ita Suetonius in ejus Vita. Peregrinam vestem in Rufino citavit Claudianus, in Carolo Calvo Franci. Constantissimi olim Germani cum fide vestes mutare ceperunt. « Turpis, ait Poeta, Romano Belgicus ore color. » Si haec laicos dedecent, multo magis clericos et religiosos, in quibus vestium luxum acriter taxat S. Bernardus serm. 23 in *Cant.*, et Apolog. Ad *Guilelmum Abbatem*.

Tropologice, vestis peregrina est haeresis, quam assumunt novantes, « qui recesserunt a protectione et indumento Dei, et suo errore cooperiunt, » inquit S. Hieronymus. Mystice idem : « Vestis, ait, filiorum regis, et principum indumentum Christus est, » quod assumimus in baptismo, juxta illud *Ephes.* iv, 24 : « Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Et *Coloss.* iii, 12 : « Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. » Peregrina ergo veste diaboli indutum, cum pro misericordia indumus crudelitatem, pro benignitate asperitatem, pro humilitate superbiam, pro modestia fastum, pro patientia impatientiam. Hinc rursus monet Apostolus *Rom.* xii, 14 : « Induimini Dominum Jesum Christum; » qui enim spreitis virtutibus vitae assumit, pro Christo Antichristum induit. Pecunia vero vestis peregrina est hypocrisis. « Qui enim magis est peregrinus, quam sunt lupi rapacibus vestimenta ovium? quid magis peregrinum, quam eum qui intus plenus est iniquitate, foris hominibus justum apparere? » ait Rupertus.

9. QUI ARROGANTER INGREDIETUR SUPER LIMEN. — Vers. 9.

Hebraei : *Qui saltat super limen*, hoc est, qui tanto fastu et arrogantia ingreditur, ut saltitudo et subsultum incedere videatur, praesertim cum gradus templi descendit, quod Amos culpam dicens cap. vi, 1 : « Vae qui opulenti estis in Sion, ingredienti domum Israel ! » Vide ibi dicta. Taxat principum, nobilium et divitum arrogantiam in ingressu, etiam templi, praesertim cum in templo omnes coram Deo se humiliare debeant, humilitatemque et habitum, et incessu, et prece profiteri. Qui enim templum adeunt, id faciunt, ut humiliter Deum invocent, ejusque opem et gratiam postulent : quare indignum est ibi arrogantiam ostendere, ubi suppliciter venia in culpis, et auxilium in necessitate a Deo flagiturat. Taxat insuper fastum sacerdotum et pontificum, qui dilatatis phylacteriis arrogant in templo, quasi ejus praefecti et praesides incedebant. Unde Septuaginta vertunt : *Ulciscer super omnem manifeste, qui in vestibus*. Sacerdotes enim debebant in suo atrio, proxime templo, quasi in ejus vestibulo. Ita Christus castigat eorumdem, sed ob sacerdotii honorem alio, puta Scribarum et Phariseorum, nomine, supercilium et fastum, *Matth.* xxiii, 5. Hunc sensum dant S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Hugo et alii, qui secundo, sic

Tropologice. Vestis peregrina est haeresis.

quoque explicant, quasi Propheta reprehendat superpositionem Iudeorum acceptam a Philistinis, qui truncato Dagon idolo suo in limine templi, illud deinceps ex reverentia calcare non ausi, transliebant, I Regum, v, 8; unde Chaldaeus verit: *Puniam omnes qui ambulant in legibus Palastinorum*. Verum hoc solos Azotios fecisse legimus, quorum deus erat Dagon, a quibus, uti hostibus, abhorrebant Iudei: unde nusquam reperimus eos coluisse Dagon. Et sane si id fecissent, utique non tacuisset hic Propheta. Parva enim, imo nulla culpa est transilire limen templi ex reverentia, eo quod quis se reputet indignum qui calcet limen domus Dei; sed longe maior culpa est, id facere in honorem Dagon, vel alterius idoli, itaque illud venerari et colere.

Tertio, Chaldaeus, Arias, Pagninus, Tigurina et Vatablus ex Hebraeo sic vertunt: *Visitabo omnem transilientem limen in die illa, qui impleat domum dominorum suorum rapina*: quasi hic taxet Iudeos, praesertim principum et potentum aseclas vel ministros, de furto, quod scilicet transilient limen, tum proximorum, ut eorum bona furentur; tum dominorum suorum, ut ibi furta recondant, utique sint, et cum illis predam dividant. Verum tam Septuaginta quam Noster pro *dominorum suorum*, vertunt, *Domini Dei sui*. Culpae ergo principum non tantum arrogantiam, sed et iniustitiam, puta rapinas, usuras et fraudes, quodque eas impudenter et quasi sacrilege consecrarent Deo: sacerdotes vero arguit, quod eandem acceptent, imo extorqueant, quodque ipsi pauperum bona specie religionis, quasi illa offerenda sint Deo, dolose et impie expilent et diripiant, suadendo v. g. filiis: Si parentes agentes a vobis quid petant, dicite id esse corban, id est munus dicatum Deo et sacerdotibus, uti Christus eis improperat Matth. xv, 6, et Matth. xxiii, 14: «Vae, ait, vobis, Scribe et Pharisei hypocrite! quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes,» g. d. Vae vobis, Scribe, qui emungitis bursas viduarum, vendendo scilicet eis, cum sanctitatis simulatione longas vestras orationes! graece enim est, *παραδοτι παζαζ πνευματικη*, id est occasione longa orationis, vel praetextu quod multum pro eis oratis. Ita S. Chrysostomus ibidem.

Vers. 10. 10. VOX CLAMORIS A PORTA PISCUM. — scilicet audietur: quia, ut docet Ribera, et Vilalpando part. I *De Apparatu urbis*, lib. II, cap. xii, per portam Piscum, primo, in urbem Jerusalem irrupisse videntur Chaldaei, omnesque incolae vel occiside, vel cepisse, sicut piscator solet in omnes pisces maris impune grassari. Unde Habacuc cap. i, 14, ait: «Et facies homines (Iudeos) quasi pisces maris,» ut capiantur a piscatore Nabuchodonosore. Et vers. 13: «Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua.» Haec porta dicta est Piscum, quod spectaret mare, et inde per eam pisces importarentur. Audi ex S. Hieronymo, Saligniaci et Borchardo, Adrichomium: Porta, in-

quit, Piscum iuxta turrim David, inter montem Sion et civitatem inferiorem, in valle Mello contra occidentem sita erat. Piscum dicebatur, quod per eam a Ioppe et aliis maritimis locis (ae praesertim a mari Galilee illis ex adverso existente, ait Vilalpando part. I, lib. III, cap. ix) quotidie pisces in urbem inferebantur. Haec alii nominibus etiam porta David et porta Negotiatorum inscribitur: David quidem, quod turri Davidis proxima esset; Negotiatorum vero, quod per eam variae negotiatorum merces a Bethlehem, Hebron, Gaza, Aegypto et Ethiopia invehentur. Per hanc portam peregrini occidentales urbem ingredi solent. Sic et Vilalpando part. I, lib. III, cap. ix. Ubi tamen in eo ab Adrichomio dissentit, quod censet portam Piscum non fuisse ad occidentem Hierosolymae, ut vult Adrichomius, sed ad septentrionem: quia, inquit, Chaldaei castra habebant ad septentrionem; ac per portam Piscum irruerunt in urbem, occuparuntque mox portam secundam, quae scilicet erat in secundo muro, et a Jeremia vocatur porta Media. Quae ratio bene concludit, si verum est Chaldaeos per portam piscum ingressos in urbem, et in portam Secundam, uti insinuat hic Sophonia. Censet ergo ipse portam Piscum fuisse ad septentrionem urbis, inter portam Ephraim et turrim Hananeel, Bezetha proximam; et Chaldaeos per eam ingressos, quia inhiabant omnibus templa quod illi vicinum erat; Adrichomio tamen aspiculatur S. Hieronymus, et faret II Paral. xxxiii, 14, ubi dicitur: «Edificavit murum extra civitatem David ad occidentem Ghion, in convallae, ab introitu portae Piscum usque ad Ophel.» Atque ad argumentum Vilalpando responderi posset, Chaldaeos utraque via irrupisse in Jerusalem, nimirum aquilonari urbis muro disrupto penetrasse in Secundam, et occidentali porta Piscum effracta, irrupisse in vallum Mello, aequae ac in civitatem inferiorem, quae filia Sion dicebatur: utriusque enim vicina erat haec porta, et ad utramque aditum pandebat; ideoque Sophonias utrobique, scilicet tam in porta Piscum, quam in Secunda, ululatum fore significat.

ET ULULATUS A SECUNDA. — Secunda porta dicebatur, quae erat in secundo muro: Jerusalem enim versus septentrionem, iuxta templum, in tres regiones erat distributa, quarum quaeque summa habebat murum in longum porrectum. Primus murus erat vicinus Sion: secundus erat medius splendissimis portis conspicuus, et in quatuordecim turres divisus, quem Ezechias rex reparavit et firmiorem altioreque fecit, II Paral. xxxiii, 8. Tertius erat extimus, quem Agrippa rex non primus edificavit, ut vult Ribera, sed iam edificatum publico sumptu permittit, et latiora altioreque reddidit. Hic totus solidus erat, et 23 cubitis altus, habebatque nonaginta quadrangulares validas et celsas turres. Ita Iosephus, lib. VI *Belli*, cap. vi, et lib. XIX *Antiq.* vii. Fuit ergo

ululatus in porta Secunda sive Media: quia Chaldaei principes, fracto muro tertio et extimo, irruerunt in secundum, ejusque portam, quae Secunda sive Media dicebatur, eamque ceperunt et insederunt, uti narrat Jeremias cap. xxxix, 3. Addunt Hebraei, Pagninus, Vatablus, Arias et Clarus, in Secunda fuisse academiam: unde illic habitabat Holda prophetissa, IV Reg. xxi, 14. Quocirca pro *כסדר* misne, id est secunda, ipsi vertunt, *academia*: ululatus, inquit, magnus ab academia. Solent enim academici non gladiis, sed calamis assueti, praeter alios metu belli percelli et trepidare, ac irruente hoste vociferari: nimirum non bene conveniunt Musae quiete et silentio, cum Marte feroci, et tubis, tympanisque et sclopiis perstreptante. *Extimus* enim murus Hierosolymae continebat regionem tertiam urbis, in qua habitabant opifices, mercatores et plebs. Secundus continebat regionem secundam, in qua, utpote tutori et tranquilliori, habitabant nobiles, studiosi, doctores, Rechabites et similes. Tertius et intimus continebat Sionis arcem et templum, eisque subjectam civitatem inferiorem, quae idcirco filia Sion dicebatur. Vide haec graphice expressa in descriptione et tabula Hierosolymae, quam exhibet Adrichomius post paginam 144. Lege et nostrum Vilalpandum in *Apparatu urbis*, part. I, lib. II, cap. ix, et lib. III, cap. ix.

ET CONTRITIO MAGNA A COLLIBUS. — scilicet Sionis et templi, aliisque similibus, ad quos, utpote munitiones, capta a Chaldaeis urbe, ex secunda et extrema regione confugerunt Iudei, sed a Chaldaeis persequentibus ibidem comprehensi, contriti et cruciati sunt. Ita S. Hieronymus et Theodoretus.

Tropologice, in hora mortis et in die iudicii erit planctus, ob peccata quae per portas, id est oculos vel aures; ac in collibus, id est in ratione, mente et voluntate, commisimus. Mors enim ascendit per fenestras, Jerem. ix, 21. Vide ibi dicta. Haec porta Piscum est porta oculorum, de quibus Cant. vii, 4: «Oculi tui sicut pisces in Hesbon,» quae sunt in porta filiae multitudinis. «Oculi enim ob humorem aequum et crystallinum videntur esse pisces et portae Piscum, per quas scilicet species rerum cadearum et voluptatum in mare huius saeculi voluntatum, quasi pisces crepant in animam, eamque inducunt sibi assimilant.

Andi S. Hieronymus: «Prima porta oculorum erit, quae exhibebuntur nobis peccata ante oculos nostros, et omnis pompa et imago antiquorum scelerum et vitiorum, atque luxurie proferetur in medium. Torquetur igitur eum conscientia, et postquam compunctus clamaverit a prima oculorum porta, ululabit etiam a Secunda, quam et aures intelligere possumus. Per hos enim vel maxime sensus, quibus vita illapsa fuerant, eorum poena sentietur, quando cernemus quod fecimus, et audientes sermonem lotumque ordinem peccatorum, in ululatu compellemur, et conte-

retur in nobis quidquid fuerit excelsum, et propter caecitatem et surdas aures ignorabatur in nobis. » Secundo, idem paulo inferius: «Vel certe, ait, in fine mundi, et in consummatione lugebunt a porta Piscum prima, qui sum baptismum non servaverunt: lugebunt a Secunda, qui non egerunt pro peccatis dignam poenitentiam. Et erit magna contritio super colles, qui nec pro peccatis incurvati sunt, ut cervicem suam submitterent, et scelera sua deplorarent. Per has enim duas portas Baptismi et Poenitentiae, in Jerusalem, id est in Ecclesiam Dei, vel introitus, vel reditus est. »

11. ULULAT, HABITATORES PILE. — Pila, id est Vers. 11. mortarii in quo tundimus piper, sinziber et aromata; vel, si majus sit, orizum et frumenta. Audi S. Hieronymus: «Pila quae hebraice dicitur *כסדר* *maches*, et ab Aquila versa est eis: *πίλα* *δύαν*, non per brevem syllabam prima legenda est (ut sit pila lutoria), ne *ορπιζαν* putemus, sed per productionem, ut de pila scilicet dici in qua frumenta tunduntur: vas concavum et medicorum aptum usui, in quo proprie pisanne ferit solent. » Unde pila dicta est a pino, pinis; quod in ea siccata frumenta pistillo pinsebant ac contundebant, ut ait Cato cap. xiv, lib. *De Re rustica*. Porro Pila hic proprium urbis vel loci nomen. Unde Pagninus, hebraeo *Maches*, quasi proprium loci retinuit.

Queres, quis hic locus, vel urbs? Primo, R. Salomon censet Pilam vocari urbem Tiberiadem, eo quod in valle concava sit sita: Tiberiam vero Piscum esse Ptolemaidem, quae mari piscoo adjacet: Misne, quod Noster vertit *Secundam*, esse *Luz*, urbem juxta Jerusalem: colles esse Saphirim. Verum hoc ipse more suo fingit, non probat. Certe de Tiberiade hic sermo esse nequit, utpote quae Iampridem a Salomanasae vastata erat cum tota Galilea et Samaria, anno 6 Ezechiae regis Iuda, qui fuit alavus Josiae, sub quo haec prophetat Sophonias, uti ipse ait vers. 1. Secunda.

Secundo, melius Lyranus per pilam intelligit Hierusalem. Totum enim vaticinium hoc est contra Iudam et Jerusalem, qui intentat exitium per Chaldaeos. Porro Jerusalem dicitur pila, quia erat in medietate Iudaeae, ejusque centrum, quo ad forum et mundum confuebant undequaque Iudei. Simili metaphora Ezechiel, cap. xxi, 2, Jerusalem vocat ollam, in qua coquantur carnes, id est Iudei. Unde et dictionaria Syriaca, *Maches*, vel *Machose*, exponunt Jerusalem, a radice *chase*, quae significat perturbare, agitare, vexare, vel etiam oppugnare, et bellum gerere; quae omnia competunt Hierosolymae. Verum cum vers. 4, Propheta expresse nominavit Jerusalem, quorum hic obscure eandem vocaret pilam? Adde, inmediate ante nominavit peculiaria loca Hierosolymae, puta portam Piscum, Secundam, et colles: ergo et *maches*, sive pila, peculiaris fuit locus ejusdem urbis. Unde

Moralliter, de ululatu porta, rem, id est, sensum.

Pila, quae? Ribera.

Tertio. *Tertio*, per pilam potest accipi civitas inferior Hierosolymæ, quæ in valle concava sita, erat quæ pila, sive mortarium, respectu Sionis aliorumque collum. Hæc enim civitas vicina erat portæ Piscium et Secundæ. Dicitur pila, tum ratione situs humilis jam dicti; tum quia in ea erat forum aromatariorum, pistorum, coquorum, etc., qui in pila aromata, frumenta, carnes et herbas contundunt. Ita Arias, Vatablus et Clarus (1).

Quarto. *Quarto*, per pilam accipi potest vorago Mello, quæ et Tyropeon dicta est. Nam, ut docet Josephus lib. VI Belli, cap. vi, Jerusalem super duos colles erat condita, contrariis frontibus semet inspicientes, interveniente valle discretos, in quam domus creberrimæ desinebant. Et inferior: Vallis autem quæ Tyropeon appellatur, quæ diximus superioris civitatis collem dirimi ab inferiore, usque ad Siloam pertinet: ita enim fontem, qui dulcis est ac plurimus, vocabamus. Hæc vallis vocatur hic *pila*, tum ob profunditatem, tum quod in ea contundendi essent Judei. S. Hieronymus eam vocat *vallem Siloë*; Chaldaeus, *vallem*, vel *torrentem Cedron*; quia usque ad Siloë et Cedron per portam Aquarum excurrat. Sensus ergo est, *g. d.* « Quomodo frumenta feriente desuper vecte in pila contunduntur, ita de porta Piscium, et de porta Secundæ, et de collibus prorens in vos decurret exercitus, » vosque contundet et comminuet, inquit S. Hieronymus, et ex eo Remigius, Ribera, Emmanuel et Mariana.

Quinto. *Quinto*, Adrichomius in descriptione Jerusalem censet *maches*, sive pilam propriè esse vallem Cedron. Cedron torrentis est inter Jerusalem et montem Olivæ, qui per vallem Josaphat in longum decurrit. Vallis ergo Josaphat est vallis Cedron, quæ posteriore sui parte, quæ torrentis Cedron juxta fontem et piscinam Siloë perlabitur; ab eo vallis Siloë nuncupatur. Audi Adrichomium: Vallis Cedron, inquit, lata, profunda et tenebrosa (unde et Cedron dicta est, a radice *רדק* *cadar*, id est niger, ater, obscurus, tenebrosus est) quæ in modum fossæ templum circumibat; ac quod in mortarii similitudinem disposita es-

set, hebraice *Maches*, latine autem *Pila* vocabatur. Hæc tante profunditatis erat, ut de templi tecto ad imum ejus despicierent oculi, non absque vertigine capitis caligarent. In hac mercatores, et omnis generis negotiatores habitabant. In hanc vallem, cum Jacobus frater Domini, primus Hierosolymorum episcopus, in pinna templi coram omni populo, Jesum Dei Filium ipso festo Paschæ profiteretur, Anani Sadducei pontificis jussu precipitatus est, et contractis cruribus desper quoque a Scribis et Phariseis lapidatus, tandem fullonis fuste in cerebrum percussus interit. Hucusque Adrichomius. Hæc sententia probabilis est, eique favet S. Hieronymus, qui pilam vocat *vallem Siloë*; et Chaldaeus, qui pro pilam vocat *vallem Cedron*. Verum ei obstat videtur, quod torrentis Cedron et vallis Siloë fuerint extra urbem: pila autem, ut et porta Piscium, et Secundæ, videantur fuisse intra Jerusalem.

Quare *quarta* sententia paulo ante recensita videtur probabilior, quæ omnes expositiones conciliat. Accedit quod porta Piscium, per quam Chaldaei irruerunt in urbem, ab Adrichomio consignatur directe ad ingressum vallis Mello, sive Tyropoei, ut jure Propheta dicta ingentem eo loci fuisse ululatum, utpote in quem primo furorem sursum exereuerint Chaldaei. Erat enim vallis hæc latissima, et habitationibus hominum frequentissima, utpote quam Salomon coæquavit et ædificiis ornavit, quæ collapsa instauravit Ezechias, ut patet III Reg. ix, 15, et II Paral. xxxii, 5.

Porro per unam hanc urbem partem, Propheta significat totius urbis ululatum et complorationem. Tota enim Jerusalem, sicut dixit Lyranus, uti fuit pila contundens et occidens Prophetas, ita pariter fuit pila, in qua impios hosce cives et propheticias contuderunt et occiderunt Chaldaei: perinde ac eadem postmodum fuit pila contundens Christum et Apostolos, ideoque facta est pila, in qua Titus et Romani eosdem Christicidas contuderunt et enecarunt, uti ei prædixit Christus Luc. cap. xix, 41 et sequentibus. Unde Septuaginta vertunt: *Plangite qui habitatis concisam*. Hebræum enim *maches* et pilam, et mandibulum dentium significat: quia sicut in pila comminuntur et conciduntur aromata, ita dentibus conciduntur et comminuntur cibi. *Maches* ergo generatim est vas vel instrumentum, quo fit concisio vel contusio, qualis est pila et mandibula. Unde Judæi in Jerusalem quasi in pila confusi, et in eadem quasi mandibula dentibus, id est gladiis et armis Chaldaeorum, concisi et lacerati sunt.

Symbolice, ululel constantinopolis, ululel Bada, ululel Trapezuntium, ululel quelibet urbs capta a Turca, vel ab hæretico principe; in qua quasi pila Catholicos ipse contundit.

Tropologice, pila est tribulatio, in qua Deus Fila est peccatores tundit, ut penitentiae gemitus et lacrymas extundat; sed in multis verum est illud Sapientis Proverb. xxvii, 22: « Si contuderis stul-

Respondit
ad
ante-
loria.

tum in pila, non auferetur ab eo stultitia ejus. » Justi vero et martyres in ea dicunt, quod Anaxarchus in pila contusus dixit tyranno: « Tunde, tunde; follem (corpus) tundis, Anaxarchum non tundis, » uti refert Philo lib. *Quod omnis probus sit liber*. Et Ovidius in *Ibim*:

Aut ut Anaxarchus pila minuaris in alta,
Iactaque pro solitis frugibus ossa sonent.

Et *hæc* Anagoge, pila est olla Vulcani, puta gehenna, in qua diaboli tot pistillis reprobos tundunt, quot hic voluptates illicitas senserunt, vel perpetrarunt; ac præsertim pistilla sunt punctura conscientie, quæ damnato oclamans et exprobrans, jugiter eum tundit et angit, dicens: Cur infelix te in hanc pilam conieci? cur modica voluptate tanta dolorum et angorum pistilla tibi accersivisti? Tundetur illa in æternum, at nunquam pertundetur: tunderis et tu, et confunderis usque ad ossa, usque ad animam; at nullus ictus eam extundet, sed vivam semper et immortalem, ad æternas tunctiones et tormenta servabit. Hujus rei symbolo fingunt poete, cor Promethei ad saxum alligati in Caucasio monte, ab aquila perpetuo tundi et rodi, at nunquam erodi vel extundi, idque in penam furti, quo ignem e celo furatus, eum in terras detulit, de quo Ovidius I *Metamorph.* Sed cur in hac pila tam horrendo tunduntur? quia in hac vita fuerunt pila gulæ, ventris, veneris et mammonæ, in qua delicias suas, epulas suas, aromata sua, vina sua, sordes suas, opes suas concessit, compressit, contudit et comminuit caro, mundus et diabolus: quia ignave vixerunt, permittentes se a tentationibus, passionibus et vitis calcari et contundi. Talis enim est pila, quæ ignava sinit se jugiter tundi. Unde Timon misanthropus Cleanthem ob ingenii tarditatem vocavit *ἄνθρωπος ἀνάλωτος*, id est *pistillum retineum, mortarium ignavum*. Inde proverbium: « Pistillo relictus, nudior, calvior: » ima enim pistilli pars adeo retusa et glabra est, ut calvi cranium referre videatur. Pila ergo notat improbum ignaviam resistendi peccatis, et bene operandi, concessisse eos in pilam et ollam Vulcani.

CONJECTIO OMNIS POPULUS CHANAAN. — Hebraice additur *כִּי הִי*, id est *quia*, quasi hic causa reddatur, cur ululaturi sint habitores pilæ, quia scilicet contuitur omnis populus Chanaan. *Chanaan*, id est mercator, qui mercibus emendis et vendendis vacat, ut faciebant incolæ Chanaan, sive Chananei. Unde illud Osee xii, 7: « Chanaan, in manu ejus statera dolosa. » Vide ibi dicta, imo Chaldaeus per Chanaan accipit Chananeos, *g. d.* Ululæ, cives Hierosolymæ, quia cessabant Chanaan alique mercatores ad vestrum forum, ad vestram manum deferre aromata, frumenta celestiasque merces. *Secundo* et melius, *כִּי הִי*, id est *quia*, hic, ut et alibi sepe, non est causale, sed encliticum, et ornatus tantum causa additur. Quocirca per Chanaan non Chananeos, sed Ju-

deos accipe. Hi enim a Prophetis vocantur Chanaan, non Hebræi, nec Abraham; eo quod non Abraham, sed Cham, Chanaan et posterorum ejus mores imitarentur. Ejus enim quid dicitur filius, quem imitatur et refert. Unde illud Don. xii, 56: « Semen Chanaan, et non Juda. » Et Ezech. xvi, 3: « Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. » Hinc et Christus ad Judæos: « Vos, ait, ex patre diabolo estis, » Joan. viii, 44. Quocirca Chaldaeus vertit: *Peritit populus, ejus opera similia sunt operibus populi terre Chanaan*. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo et Lyranus. Porro in voce *contuitur* est emphasis. Nam *contuitur*, id est penitus excisa est et perit, ut vertit Chaldaeus, ita ut nullus in ea vox, gemitus vel sibilus audiat: quia omnes vel capti, vel occisi sunt a Chaldaeis; vel si qui sunt reliqui, ita percussis, afflictis et attoniti sunt, ut præ vehementia doloris, et præ stupore vox illis intercludatur, nec vocem ullam proferre, imo nec hiscere possint.

DISPERIUNT OMNES INVOLUTI ARGENTO, — puta mercatores et avari, qui non tractant aliud quam aurum et argentum, ac divites undique opibus cincti et circumsepti, iisque confidentes et superbiales, quasi per eas sint a Chaldaeis inexpugnabiles. Ita S. Hieronymus. Unde Septuaginta vertunt, *elaviti argento*. *Secundo*, « involuti argento: » quia cor suum omnemque affectum dederunt argento, illudque ita ei affixerunt et involverunt, inquit Ribera, ut non tam argentum possideret et regere, quam ab argento possideri et regi videantur. Quocirca alii vertunt, *portatores argenti*; alii, *onera argenti*. Argentum enim est idolum, quod adoratur avarus, quod consult, quod per fas et nefas sequitur, cui per omnia obedit et se quasi servum mancipat. Unde ab eo agitur ad usuras, fraudes, dolos omniaque scelera. Qua de causa avaritia ab Apostolo vocatur idolorum servitus, græce idololatrya, Ephes. v, 5. Dictum est de Aristotele, cum septenos per diem Euripi fluxus et refluxus curiosus scrutari volens, ab eo absorptus est: « Aristoteles non habet Euripum, sed Euripus habet Aristotelem. » Idem verius dicas de avaro: Avarus non habet Euripum pecuniam, sed hic habet et possidet avarum. Vere Cicero, actione 5 in Verrem: « Nihil est tam sanctum, quod non violari; nihil tam munus, quod non expugnari pecunia possit. » Et Cato apud Gellium: « Fures privatorum in nervo et in compediibus etiam agunt: fures vero publici in auro atque in purpura. » Denique avari involuti sunt argento: quia cor habent in ære, non in æthere. Cujus rei exemplum ad litteram exstat in Vita S. Antonii de Padua. Cum enim ipse in exsequiis ejusdam divitis avari haberet orationem funebrem, dixit: Christus ait: « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. » Ita dives hic cor suum habet in suo thesauro, ibique illud reliquit. Ita domum ipsius, et in auro ejus invenietis illud. Iverunt, et in

(1) Nos, ut nostram sententiam tribus verbis exprimamus, inquit Maurer, postquam alii sententias retulit *ischebet haamches* idem prorsus esse putamus quod *ischebet haameq* (*habitatrix vallis*). Jerem. xii, 13, id est incolæ urbis Hierosolymitanæ. Quemadmodum illo loco Jeremias *עֵמֶק עֵמֶק*, *vallem*, dicit eam urbem utpote montibus cinctam, sic hoc loco Zephania eandem (conf. vers. 10 et 12 seqq.) eodem sensu appellat *maches*, *mortarium*. Mortarium vero, non vallem, eam vocat iudens more prophetarum, eo consilio, ut simul significet quam Hierosolymitanas maneat sors, ut significet, inquam, fore ut velit in mortario illi contendantur, id est deleantur prorsus ab hostibus. Quod ipsum statim claris verbis exprimitur, ita ut non simul cur delendi sint, causa exprimat, quæ in eo ponitur, quod turpis questus et commodi causa mercatorum faciant.

(Maurer.)

auro cor ejus repererunt, ut vir sanctus affirmaret. Plura similia exempla exstant in vitis Sanctorum. Addit Delrio adagio 1003: Sicut infantes qui rebus vilibus, ut nucibus, delectantur, involuntur fasciis; ita divites, qui vili terra rubra et alba, id est auro et argento, delectantur, eo se involunt: « eadem involuntione ita grossifaci, inquit Rupertus, ut nimis difficile sit introire eos in regnum Dei, » juxta illud Christi: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei, » *Matth. cap. x, 23.*

Mystice, S. Gregorius lib. XVIII *Moral. xi*: « Quia, ait, nonnulli eloquia Dei non interius per exhibitionem, sed exterius per ostensionem habere concipiunt, ideoque per Prophetam dicitur: Disperietur omnes involuti argento. Hi nimirum qui eloquio Dei non interiori refectione se replent, sed exteriori ostensione se vestiunt. » Ita ad litteram clericis et religiosi, qui habitum pietatis exterius preferunt, si interius cor habeant involutum argento, a gradu suo decidunt et disperiunt. Hae de causa multas Ecclesias, monasteria et Ordines a primævo sanctitatis splendore decidisse, ideoque vel perisse, vel contempta jacere, vel ab hereticis et infidelibus eversa videmus et videmus. Vere dixit vir sapiens: « Mater genuit filiam, sed filia suffocavit matrem, » nimirum, « filia ample dotationis suffocavit matrem devotæ religionis. »

Vers. 12. SCRUTATOR JERUSALEM IN LUCERNIS. — *q. d.* Efficiam ut Chaldei, capta Jerusalem, omnes ejus angulos et lateras exacte scrutentur, ne quis Judeorum se abscondens manus eorum evadat. Ita pariter Romani sub Tito scrutati sunt Judeos in cloacis, speluncis et sepulchris, indeque eos extraxerunt ad necem, ut refert Josephus lib. VII *Bell. cap. xvi, xxvi et xxx*, et lib. III, cap. xiv. Ubi se ex hisdem extractum, aut potius sponte egressum, cum Vespasianus eis vitam et libertatem promitteret, eidem se dedisse narrat. Est adagium. Lucernam enim adhibemus, cum quid exacte scrutari, et penitus perspicere volumus. Unde illud vetus, dictum quod erat Plutarchus in *Præceptis convitiatis*: « Sublata lucerna nihil interest inter mulieres, » significans plerumque esse impudicas, vel ad id faciles, si detur facultas tenebrarum et secreti, ubi sine teste peccetur. Quin et Diogenes adhibita interdicta lucerna, rogatus quid faceret, respondit: « Hominem quæro, » teste Laertio in ejus Vita. Seneca, lib. *De Vita beata*, indicat idipsum solere fieri per superstitionem, si quando denuntiabatur ira Numini: « Cum laurum, inquit, linteat senex, et medio lucernam die præferens, conclamat iratam aliquem deorum, concurrens et auditis. »

In die judicii. Allegorie, id verum erit in die judicii, quando Deus scrutabitur arcana locorum et mentium, ac revelabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, I *Corinth. iv*; tunc enim etiam

de minimo verbo otioso, et de subtilissimis cogitationibus rationem a quolibet exiget, ait S. Hieronymus. Audi S. Bernardum serm. 33 in *Cant.*, explicantem illud *Cant. ii*: *Sinitis est dilectus meus caprea*, quæ acuti est visus: « Time, ait, scrutinium judicis, time oculos capreae, time illum qui per Prophetam dicit: Et erit in die illa, et ego scrutabor Jerusalem in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum reliquit: oculus ejus scrutabitur runes et corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, si in Jerusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco Prophetam Jerusalem nomine designasse illos, qui in hoc sæculo vitam ducunt religiosam, mores supernæ illius Jerusalem conversatione honesta et ordinata pro viribus imitant; et non veluti hi qui de Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum scelerumque confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, et non egent scrutino, sed supplicio. Mea autem (qui video monachos et Hierosolymita) peccata certe occulta sunt, nomine et habitu monachi adumbrata: et ideo necesse erit subtili ea investigari discussione, et quasi admodum lucernis in lucem prodii, juxta illud *Psalm. lxxiv*: Cum accepero tempus, ego justitias (id est vias justorum) judicabo. Verendum valde, cum ad hoc ventum fuerit, ne sub tam subtili examine mentis nostræ justitiæ (ut putantur) peccata appareant. » Remedium subdit: « Unum est tamen, si nos ipsos judicaverimus, non utique judicabimur. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire jejunii cæterisque sanctæ laboribus discipline, etc. Scrutabor ego vias meas et studia mea, quo is qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, sive indiscutissimum inveniat. Neque enim judicaturus est bis in idipsum. Quis mihi det ita ad liquidum prosequi et persequi universa delicta mea, ut in nullo oporteat vereri oculos capreae, in nullo ad lucem contingat erubescere lucernarum? Et nunc video, sed non video. Presto est oculus cui omnia patent, etsi non patet ipso. Erit quando cognoscam, sicut et cognitus sum. »

Quæres, quænam sint lucernæ Dei, quibus scrutabitur omnes et omnia in die judicii? Respondeo: Increata lucerna Dei est ipsa ejus mens, intellectus, perspicacia, scientia, quæ omnia penetrat et pervidet clarissime. Nam, ut ait Apostolus, « vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio accipit, et discerit cognitionem et intentionem cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, » *Hebr. iv, 12*. Hinc Ægyptii Deum pingebant hieroglyphice, quasi oculum sceptrum insistentem, oculo significantes ejus visionem, scientiam, providentiam; sceptrum, ejus potentiam, regnum, vindictam et castigationem. « Deus enim, inquit Plinius lib. II,

Lucerna
lucerna
Dei, quæ

cap. vii, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animus, totus animi, totus sui. » Et, ut ait Tertullianus lib. *De Trinit.*: « Deus totus est oculus. » *1^a Tim. i, 17*: « Omnia videt oculus illius. » Et vers. 28: « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssus, et hominum corda intuentes in absconditis partibus. » Quocirca cogita, o peccator, te hunc oculum effugere non posse, esto abbas te in conclave, in speluncas, in antra: ubique enim hic oculus te videt. Si id scis et cogitas, quomodo in conspectu divini et vindicis hujus oculi peccare, eumque iurare aures?

Creata lucernæ Dei sunt variae. *Prima* sunt angeli et demones, qui quoad naturam spiritus sunt lucidi et pervigiles, omnia penetrantes, scrutantes et pervidentes, de quibus *Psalm. ciii*, et Apostolus *Hebr. i, 7*: « Qui facti angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. » Hi in judicio peccatorem accusabunt, omniaque ejus scelera, adhaec occultissima et minutissima, prodent et pendunt in tribunali Christi.

Secunda. *Secunda* lucerna Dei est ratio et conscientia ejusque, de qua *Psalm. iv, 7*: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Et *Matth. vi, 22*: « Lucerna corporis tui est oculus tuus. » Hæc lampas in memoria servat, eamque agnoscat et fatebitur coram iudice et toto mundo. Hæc dicit ipsi peccatori: Ego te monui, ego tibi oclumavi: noli hoc scelus patrare, Deus te videt, Deus te punit, sed nolisti me audire; me reclamante effrons in conspectu Dei, impudenter, hæc et ista in particulari crimina commisit: tu nosti, ego testor, negare non potes.

Tertia. *Tertia* lucerna est lex et verbum Dei, de qua *Psalm. cxviii, 103*: « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. » Et *Sapiens Proverb. vi, 23*: « Mandatum lucerna est, et lex lux. » Et *II Petri i, 19*: « Attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. » Lex enim Dei detegit iniquitates hominum, quas legi huc contrarias et repugnantes admiserunt, ostenditque quam inique impieque, et a ratione leque aliena et abhorrentes fuerint. Audi S. Ambrosium in *Psalm. cxviii*, octonario 18, ad illud: *Ignitum eloquium tuum*: « Tripletter, inquit, describe tibi ignitum eloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audientes. Ideo ait Dominus: Scrutatus sum Jerusalem ad lucernam. Sed neminem in ea vel qui mundaretur, vel qui incenderetur, aut illuminaretur, invenit: ideo eam in tenebris dereliquit. »

Quarta. *Quarta* lucerna est sol, luna, stellæ, quæ peccatorum dum peccaret, luxerunt et faciem præbuerunt; hæc enim testabuntur scelus quod viderunt, eique lucem præstiterunt. Unde de his ait Isaias cap. *xxiv, 23*: « Erubescet luna, et confundetur sol, cum regnavit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum

suarum fuerit glorificatus. » Et Joel cap. *ii, 31*: « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem. »

Quinta lucerna est vita Christi et sanctorum. *Quinta* hinc de Joanne Baptista ait Christus: « Ille erat lucerna lucens et ardens, » *Joan. i, 33*. Et *Philipp. ii, 15*: « Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. » Et de Helia et Henoch ait S. Joannes: « Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terre stantes, » *Apoc. xi, 4*. Tot ergo lucernæ Dei sunt quot sancti, imo quot virtutes et exempla sanctorum; hæc pendunt arguentque nequitiam peccatorum. Quocirca cullebet reprobo dicit Christus iudex: En dedi tibi hæc exempla plurum quasi faces, quas sequearis: tu vero maluisti tenebras et opera tenebrarum sequi quam lumen. Vide quam tua opera, quam tua vita difformis sit vite S. Pauli, S. Francisci, S. Dominici, etc. Si respondeas: Domine, non potui servare castitatem, quia natura et consuetudine nimis proclivis eram in libidinem; arguet iudex: Mentiris. Nam S. Augustinus in libidinem propensissimus, eam vici per meam gratiam; vici Magdalena, vici Pelagia, vicerunt alii innumerati: ergo et tu tuam proclivitatem vincere potuisti per eandem gratiam, quam tibi vel obtuli, vel præparavi, ac reipsa dedissem, si eam humiliter et instanter postulasses, eique strenue fuisses cooperatus. Quis hoc Dei scrutinium non expavescat?

An gelogice, lucerna Jerusalem celestis, est splendidissima et gloriosissima humanitas Christi, quæ non tantum eam scrutabitur, ne quid in eam intret coquinatum, sed et eandem miris et æternis splendoribus irradiabit, laticabit et habebit: de qua *Apoc. xxi, 23*: « Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. »

Et visitabo super viros devotos (id est totos immersos, agglutinosos, et ut hebraice est כְּפֶה־רֹחֶם, id est coagulatos, vel congelatos) in facies (id est in sordis et spurcis voluptatibus, puta deliciis et divitiis) suis. — Unde Chaldeus vertit: *Animadvertam in viros, qui summa tranquillitate fruuntur divitiis suis.* Est metaphora a vino aspero facibus incubante, quod dum immotum in his persistit, asperitatem suam vitiumque conservat: unde ut eam ponat, fiatque suavius, ab ænopolis ab his amoveri, et in aliud vas transferri solet. Sic enim Deus Judæos in Jerusalem oculo et opibus affluentes, ut corruptos eorum mores corrigeret, ex ea transtulit in Babylonem. Aludat Sophonias ad Jeremiam synchronon sui cap. *xviii, 11*, ubi de Moab dicit: « Peritilli fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in foecibus suis: nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit: ideoque permansit gustus ejus in eo, et odor ejus non est immutatus. » Vide ibi dicta. Ita loci et officii mutatio sepe homines a suis cupidis, moribus et amoribus avel-

lit. Quocirca sapienter in Religionibus inductum est, ut religiosi subinde ex uno monasterio vel collegio in aliud, ex una provincia in aliam transferantur, ut meminerint se hic non habere manentem civitatem, sed esse advenas et peregrinos, cives vero sanctorum et domesticos Dei, in eoque mentem amoreque suum defigant.

QUI DICUNT IN CORDIBUS SUI: NON FACIET BENE DOMINUS, ET NON FACIET MALE, — q. d. Qui cogitant et censent quod Deus non habeat providentiam honorum et malorum, ut hos puniat, illos premiet; sed omnia casu vel fato eveniant. Fortuna est, inquit, vel fatum, quod omnia regit, quod his bona, illis mala irrogat. Est vox politicorum et atheorum: qui enim in fecibus peccatorum suorum defixi jugiter hærent, tandem fiunt athei. Amor enim voluptatum, et consuetudo peccandi quam nolunt dimittere, impellit eos et exerceat, ut dicant: Non est providentia; quo liberis ablato Numinis metu peccent, et suis amasiis vel cupidis fruantur, iuxta illud *Psalm. xiii, 1*: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. »

Vers. 13. 13. ET ERIT FORTITUDO EORUM IN DIREPTIONEM. — Pro fortitudo hebraice est *יִתְרוֹן*, quod robur, vires, opes, exercitus significat. Unde Chaldaeus vertit: *Erunt divitiae eorum in spoliis*; Pagninus: *Erit substantia eorum in direptionem*; Tigurina: *Diripiuntur opes illorum*. Hinc et sequitur, *et domus eorum (erunt) in desertum*; Chaldaeus, *domus eorum in predam*; Pagninus, *domus eorum in desolationem*; Tigurina, *domus eorum vastabuntur*. Divites enim omne suum robur ponunt in domibus et opibus, juxta illud *Proverb. cap. xviii, 11*: « Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum. » S. Hieronymus tamen, Remigius et Haymo per fortitudinem accipiunt exercitum. Audi S. Hieronymum: « In die mortis et iudicii omnis fortitudo eorum in direptionem erit, ut quod male valebat et erigebatur adversus Dominum, infirmum fractumque vertatur ad melius; velut si quis fortitudinem latronis, et pirate, et furis diripit, infirmosque eos reddat, prodest illis sua infirmitas; debilitata enim membra, quibus prius non bene utebantur, a malo opere cessant. »

Vers. 14. 14. JUXTA EST DIES DOMINI MAGNUS, — puta dies vindictæ et excidii Jerusalem, ac captivitatis Babylonice.

Allegorice, apte S. Hieronymus, Remigius, Vatablus, imo Ecclesia in Officio defunctorum, hæc omnia adaptat diei iudicii. Vide dicta *Joelis cap. ii*. Prope, ait S. Hieronymus, est dies mortis et iudicii, « vel propter eternitatem, quia nihil ei longum est; vel propter pœnæ magnitudinem, quia patienti nunquam longe videtur supplicium quod inferendum est; sive, cum exierimus a seculo, et unus cujusque mors consummationem mundi fecerit, non solum prope erit, sed et velox nimis. » Vox diei domini amara, — quia in illa die erit clangor, strepitus, tumultus et comploratio tum

Chaldeorum occidentum, tum Judeorum vel occidentum, vel captivorum, amarus et horrendus. Allegorice, S. Hieronymus jugiter sentiebat sibi insonare vocem ultime tûbe: « Sive, inquit, bibo, sive comedo, sive dormio, semper tuba illa insonat auribus meis: Surgite, mortui, venite ad iudicium. » Sapientes, qui hanc vocem jugiter audiunt et ruminant.

TRIBULABITUR IBI FORTIS. — Chaldaeus, *ibi potentes interficiuntur*; Pagninus, *clamat ibi fortis*; Tigurina, *ibi fortis turpiter ejulabit*. Alii mutata distinctione sic exponunt: *Vox diei domini prope est, ibi fortes vociferabuntur amaram*, id est, ibi audietur vox atrox et horrenda Chaldeorum expugnantium Jerusalem civesque trucidantium; et allegorice, angelorum tuba canentium, orbique excidium et finem adducentium in die iudicii.

13. DIES IRÆ. — Ad litteram loquitur de die excidii Jerusalem per Chaldaeos; allegorice, de die iudicii. Septuaginta: *Dies ira dies illa, dies tribulationis et necessitatis, dies miseria et perditionis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubes et nebula, dies tubæ et clamoris*; Chaldaeus: *Dies afflictionis et angustiae, dies tumultus et commotionis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubilosus et obscurus, dies bucinæ et jubilationis*; Pagninus: *Dies ira dies illa, dies angustiae et afflictionis, dies tumultus et desolationis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubes et caliginis, dies tubæ et tarantularum*. Exaggerationes hæc acerbitatem, horrorem et atrocitatem illius diei significant et representant. Tigurina: *Dies exardescens dies illa, dies angoris et commotionis, dies desolationis et devastacionis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubes et nebula, dies bucinæ et classici*. Vide dicta *Joel, cap. ii, 2*. Meditans et concionator singula hæc diei illius epitheta ruminet, expendat, ponderet et urgeat, v. g. Dies hujus vite est dies gratiæ, illa future vite est dies iræ; quia in illa Deus omnem suam iram per sex annorum (quibus eum jugiter in hoc mundo offenderunt et irritaverunt peccatores) millia collectam, totam simul uno impetu quasi torrens effundet in impios. Secundo, illa Secundo, dies erit dies tribulationis, quia tribulam omnium afflictionum aget super impium Deus, dicteque: « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. » Apoc. cap. xviii, 7. Tercio, erit dies angustiae, quia ab omni Tertio, parte arciabuntur reprobi. Si enim aspiciant sursum, videbunt iudicem iratum, spirantem fumos. Si deorsum, videbunt flammam gehennæ sibi paratas. Si retro, videbunt voluptates elapsas jam se deserere et cruciare. Si ante, videbunt eternitatem interminam, et quæque miseriam. Si ad latera, videbunt angelos se relinquentes, et demones se invadentes. Si intus, videbunt conscientiam se accusantem et flagellantem. Quarto, erit dies calamitatis, id est calamitiosissima, adeo ut dicant montibus: « Operite nos; » et collibus: « Cadite super nos, » Osee cap. vi, 8; Apoc. cap. vi;

vers. 16. Undique enim pœnæ quasi hostes in eos irruunt. Quinto, erit dies necessitatis, ut vertunt Septuaginta, quia necessariam et inevitabilem sententiam et condemnationem subibunt, e qua nec homines, nec angeli, nec B. Virgo eos vult aut poterit liberare. Sexto, erit dies perditionis, quia et famam, et vitam, et letitiam, et animam, et omne bonum perdet in æternum. Septimo, erit dies tumultus, ut vertit Chaldaeus, quia in tanto et pene infinito damnatorum numero, turbaque condensata et conspata tam in valle Josaphat, quam in gehenna, horrendus erit strepitus, clamor, ejulatus; horrenda convicia, maledictiones et blasphemiae, quibus damnati sociis, parentibus, demonibus, angelis, Deoque maledicent; ringent enim contra se invicem quasi canes ex summo dolore et desperatione. Octavo, erit dies tenebrarum, quia ibunt in tenebras superiores, ubi nunquam videbunt solem, lunam, vel ullum lumen. Nono, erit dies turbis, quia quasi mentis impoles vertigine agentur, et ignis stridens quasi turbo aget eos in gyrum, rapietque in tartara. Decimo, erit dies tubæ tarantularum, ut vertit Pagninus, id est praelii, quo Deus eos profligabit et conficiet. Rursum erit dies tubæ, quia tuba proclamante educentur coram toto mundo ad locum supplicii, ut plectantur in gehenna.

Undecimo, erit dies desolationis et devastationis, ut vertit Pagninus et Tigurina, quia privabuntur omni consolatione et gaudio, ac replebuntur omni merore et tristitia. Duodecimo, erit dies jubilationis, ut vertit Chaldaeus, quia sancti jubilabunt, et applaudent justitiae et vindictæ Dei, ipsisque damnatis insultabunt, ac de iis quasi hostibus profligatis triumphum agent.

Vers. 15. 15. DIES NEBULÆ ET TURBINIS. — Tum proprie; Deus enim pugnat adversus impios, ac præsertim in die iudicii pugnabit, cogendo et vibrando in eos nebulas, turbines, fulmina, tonitrua, procelas et grandines. Hi enim milites in castris Dei censentur *Psalm. x, 7*; Sap. v, 22. Sic pro Theodosio pugnavit contra Eugenium tyrannum, ventos in eum immisit:

Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas,

ait Claudianus.

Tum symbolice; nebula enim, tempestas et turbo symbolum et imago sunt horridi praelii, conflictus, stragis, supplicii et vindictæ, ex alto a Deo detonantis et depluentis in impios, eosque grandinantibus. Sic Homerus *Iliade IV*, Græcorum agmina, quasi procelas irruentes in Trojanos depingit:

Qualem super æquora nubem

Sæpe videt celsi scopuli de vertice pastor,

Contractam Zephiri flatu, et caligine nimbus.

Dorsale picea, et sævam minantem procellam.

Et Homerum de more imitans Virgilius *Æneid. XII*:

Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus

It mare per medium, miseris, hænt præscia longa
Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus stragemque salis, ruct omnia late.
Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adversos ductor Rhœteius hostes
Agmen agit.

Et rursum Æneam in medio conflictus quasi turbis, ita describit:

Ac velut effusa si quando gradine nimbi
Præcipitant, omnia campis diffugit arator, etc.
Sic obrutus undique telis
Æneas, nubem belli dum delatet.

16. SUPER ANGULOS EXCELSOS. — Chaldaeus, *super colles exaltatis*; Tigurina, *super turres excelsas*; hæ enim in angulis palatiorum solent edificari, q. d. Chaldaei turres altissimas celerim descendunt, occupant et vastant. Ita Theodoretus, Lyranus, Arias et Vatablus.

17. AMBULABUNT UT CECI, — præ metu, angore, Vers. 17. horrore et stupore. Videtur enim timor et anxietas timidis, anxietas et perplexis eripere lumen, mentem et oculos, ut nesciant quo fugiant, q. d. Judei erunt attoniti, ut cecutire videantur, et ambulare tanquam cæci, præsertim quia adimet eis consiliarios et viros sapientes, qui civitatis et civium sunt quasi mens et oculi, uti predixit Isaïas cap. iii, 3.

EFFUNDATUR SANGUIS EORUM SICUT HUMUS. — Tigurina, *ut pulvis*, scilicet contemptus et nullius pretii, qui omnium pedibus calcatur.

CORPORA. — Cadavera Judeorum insepulta projicientur ut stercora, hoc est, sepultura asini sepepientur, uti sub idem hoc tempus Joakim regi comminatus est Jeremias cap. xxxii, 19.

18. AURUM EORUM NON POTERIT LIBERARE EOS, — Vers. 18. quia Chaldaei truculenti Judeorum vitam quaerunt, non aurum.

IN IGNE ZELI EJUS (Domini) DEVORABITUR OMNIS TERRA, — scilicet Judæa; de ea enim agit. *Ignem zeli* vocat iram vindictæ, vel iram vindicem. Ira enim vocatur *ignis*, quia in ira, ebulliente sanguine effervescentis et ignescimus, ut oculis, ore et naribus flammam vomere videamur. Unde illud: « Ignem vel iras naribus efflat. » Unde Arabicus Antiochenus vertit, *in igne fervoris ejus*; Arabicus Alexandrinus, *in flamma ignis ejus*. Rursum, vindicta vocatur *zelus*, quia hæc in Deo ex ingenti amore nascitur. Alludit enim ad zelum maritorum qui, quasi uxores ardentem amant, hinc, si ipse adulterentur, et fidem amoreque fallant, acerrime eas puniunt, et sæpe occidunt. Ita Deus, quia populum suum, puta Judæos, ardentem amat, quasi sponsas suas; hinc eos fidem fallentes, et cum idolis adulterantes, in indignationem verso, gravissimam punivit, vastavit et consumpsit usque ad consummationem, id est plene, funditus et consummate. Ita S. Hieronymus. Loquitur, ut dixi, ad litteram de die ex-

cidii Jerusalem per Chaldaeos, et a pari vel simili, de die exitii ejusdem per Titum et Romanos, de quo S. Hieronymus: « Usque in presentem, ait, diem videas Judeos prohiberi ingredi Jerusalem excepto planctu; et ut ruinam suae eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas. Videas in die quo capta est a Romanis et diruta Jerusalem, venire populum lugubrem,

confluere decrepitas mulierculas, et senes pannis annisque obsitos, in corporibus et in habitu suorum Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, et patibulo Domini cuscante, ac radiante *avaritia* ejus, de Oliveti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, et tamen non esse miserabilem, etc., et dubitat aliquis, cum hæc videat, de die tribulationis et angustiae. »

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur Judeos ad penitentiam, ut evadant stragem Chaldaeorum, quam subitura sunt vicinae gentes. Unde, vers. 4, Gaza, Ascalon, Azot, Accaron, Ammon, Moab, ac vers. 12, Æthiopia, quin et vers. 13, ipsi Ninive orbis domina excidium intentat; simul ut soletur Judeos horum populorum, utpote Judeis hostilium, clade et interitu (1).

1. Convenite, congregamini, gens non amabilis: 2. Priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini. 3. Querite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati: querite justum, querite mansuetum: si quomodo abscondamini in die furoris Domini. 4. Quia Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, et Accaron eradicabitur. 5. Vae qui habitatis funiculum maris, gens perditorum! verbum Domini super vos Chanaan terra Philistinorum, et disperdam te, ita ut non sit inhabitator. 6. Et erit funiculus maris requies pastorum, et caula pecorum: 7. Et erit funiculus ejus, qui remanserit de domo Juda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vespem requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum. 8. Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon: quæ exprobraverunt populo meo, et magnificati sunt super terminos eorum. 9. Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorra, siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in æternum: reliquiae populi mei diripient eos, et residui gentis mee possidebunt illos. 10. Hoc eis eveniet pro superbia sua: quia blasphemaverunt, et magnificati sunt super populum Domini exercituum. 11. Horribilis Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ: et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulae Gentium. 12. Sed et vos Æthiopes interfecit gladio meo eritis. 13. Et extendet manum suam super Aquilonem, et perdet Assur: et ponet speciosam in solitudinem, et in invium, et quasi desertum. 14. Et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestie gentium: et onocrotalides, et ericini in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus. 15. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, et extra me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestiarum? omnis qui transit per eam, sibilabit, et movebit manum suam.

(1) Continuat in hoc capite pars emendatoria hujus prophetiae, et post comminationem de qua in præced. cap. sequitur exhortatio Judeorum.

Primo, alhortatur primo, improbos ad penitentiam et præveniendam malis, 1, 2; secundo, probos ad virtutum exercitulationem et obtinendam conservationem, 8.

Secundo, commemoratione posarum in gentes exte-

ras, Propheta vult suos populares, tam ad studium penitentiae mature suscipiendum, tum ad spem obventuri solatii permovere, primo, ex vicinorum hostium destructione, et horum provinciarum per Judeorum reliquias occupatione, 4-10; secundo, ex subsequenti dei immiseratione, 11; tertio, ex deletionem remotorum hostium, scilicet Æthiopum, 12, et Assyriorum, 13-15.

Vers. 1.

4. CONVENITE. — hebraice *יִתְקַבְּצוּ* *hitkabsesu*, id est colligit, admale vos in cæcum, sicut stipule et paleæ colliguntur et constringuntur in fasciculos. Unde Septuaginta et Chaldeus vertunt, *congregamini et cædite*, id est *colligamini*: male enim quidam legunt *excidite*, id est *comprecamin*, ait Theodoretus. Hortatur enim populum, ut simul omnes eosant in templum, ibique unanimiter per preces et penitentiam communem Deum placent, ac ipsi quasi vim faciant, itaque comminata mala vertant, et flagellum e manu ejus extorqueant, q. d. « Convenite in Ecclesia, sociamini vobis charitate et paco, » ait S. Hieronymus, nimirum ut, sicut grana in acervos, stipulae in fasciculos colliguntur, ita vos mutui et communibus charitatis et pietatis studiis conveniatis in unam religionem, ecclesiam, litaniam et supplicationem, ut hac unione prævaleatis ira Dei, Deumque vobis reconcilietis. Quare minus recte Rabbini, et exiis Pagninus, Figurina et Valabius vertunt: *Scrutamini vosipsos, et scrutamini deinde alios, ut scilicet prius vestram, deinde alienam conscientiam emundetis, et inducatis ad penitentiam*. Hebraeorum enim *קָבַץ* *qabatz* non significat scrutari conscientiam, sed colligere, acervare, congregare (1).

Tropologice, S. Hieronymus hæc applicat cuique et seculo migranti, q. d. « O tu qui seculi negotiis occupatus per diversa discursis, revertere in sanctorum ecclesias, et junge te eorum vite et cætui, quos vides placere Deo; et dissoluta membra anime tue, nec sibi coherentia, in unam sapientiam coge compagem; et illius hære complexui, et audi mystice: Confortamini, manus dissolutæ, et genua debilia, solidamini. Nec gloriaris in bonis carnis, et ejus flore qui præterit. Omnis enim caro fœnum, et omnis ejus gloria quasi flos fœni. Aruit fœnum, et flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum. » Sub-

(1) Rejicienda juxta Maurer, *congregamini* significatio, vel propterea est, quod antequam illud *congregamini* de instituta condicione terra ad placandum precibus nomen intelligi non potest, nisi adhibita vi. Etiam eorum interpretatio, qui illis verbis Judeos juberi putant *colligere*, et scrutari semetipsos, haud admittenda. Porro cum nec *congregamini* notio admitti possit, nec *colligendi* vis sensum idoneum fundere videatur, verba hebraica *hitkabsesu* et *קָבַץ* *qabatz*, ad *קָבַץ* *qabatz* *hosc*, *ad qabatz hosc*, *dorso incurvum, incurvatum esse*, referenda putat in hanc aptissimam sententiam: *Incurvate vos, incurvate* (proprie, *incurvatos exhibete vos, ostete incurvatos*), id est, frangite spiritus, animos demittite, affligite vos conversi ad penitentiam! Quod *קָבַץ* *qabatz* *legerant* Masorethe, ad *קָבַץ* *qabatz* *hosc* referentes verba, id, ut eodem modo legamus necessitatem imponere non potest, eoque minus, quod in locutione non videtur nisi auctoritatem secuti esse Chaldaei. Ad nexum factus a nobis sensus convenientissimus est, sive *אֵלֶּיךָ יִתְקַבְּצוּ* *elai hitkabsesu* (volg. *non amabilis*), vis significare non *pallere* pro pudore, sive non *pallere* pro terrore (cf. etiam *Jer.* II, 6); utrumque enim hominis protervi, insolentis, obtruncati est, hoc est, contrariis, quales Judei, verbis *incurvate vos*, jubentur esse.

(Maurer.)

dit deinde aliud: « Possumus, inquit, hoc capitulo uti pro tempore, si quando viderimus aliquem honoribus seculi deditum, et congregandis divitiis occupatum, ad ecclesiam, vel raro, vel nunquam venire, et dicere ad eum: Congregare et conjungere populo Dei, qui Domini præcepta non audis, antequam gloria tua pertranseat, antequam dies tibi furoris Domini adveniat. »

GENS NON AMABILIS. — Hebraice *גֵּן אֵלֶּיךָ* *lo nichsaph*, id est ut Pagninus, *gens non desiderabilis*, q. d. O Judei, vos estis gens non amore, sed odio Dei digna, Deoque ob peccata invisa et exosa. Unde Septuaginta vertunt, *gens ineredita*, quæ scilicet doctrinam et disciplinam Dei ignorat et respuit; Figurina, *gens non desiderans*, scilicet Deum Deique legem; Chaldeus, *generatio nolens converti ad legem*; Syrus, *gens non correpta*, id est non erudita, absque disciplina; Arabicus Antiochenus, *gens quæ non probatur*, hoc est tentatione vel afflictione non examinatur; Arabicus Alexandrinus, *gens insipiens*. Est liptote, sive miros; miros enim dicitur, et majus intelligitur: non amabilis, id est inamabilis, quæ neguit amari, invisa, odiosa. Sic Plantus in *Bach*: « Incredibilis, imposit animi, inamabilis, illepidus vivo. » Et Virgilius VI *Æneid.*, de Styge:

Tristisque palas inamabilis unda,

id est palus summe horrida et exosa. Idem, III *Georg.*:

Quis aut Eurythæ durum,
Aut illuditi nescit Bustris aras?

Illeudati, id est vituperati, infamisi et sceleratissimi: Bustris enim hospites suos diis maculabat ad aras, cumque pariter Hercule mactare vellet, ab eo mactatus est. Sic Scriptura sæpe idolum, vel peccatum, vocat vanum, vel inutile, id est maxime damnosum et nocentissimum. Secundo, Judei vocantur « gens non amabilis, » quia cæteris gentibus erant invisi, tum ob religionis et fidei differentiam, tum quod cum eis nullum haberent commercium, affinitatem, vel conjunctionem, imo eas avversarentur. Ita Pineda lib. I *De Rebus Salom.* cap. 1.

2. PRIUSQUAM PARIAT JUSSIO, etc. — q. d. Con- Vers. 2. gregamini ad publicas preces et lamenta, antequam Deus jussu suo pariat et producat diem exitii et captivitatis Babylonice, qui transibit ut pulvis, hebraice *כַּמּוֹת* *camoth*, id est ut palea et gluma, hoc est, erit ut turbo qui violenter pulverem et paleas dispergit, ac celerissime transit omnia miscens, obnivans, diripiens et auferens. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo et Lyranus. Verum Septuaginta paraphrasticè pro pulvere allam dant similitudinem, nimirum floribus: Antequam, inquit, sitis sicut flos pertransiens diem, qui scilicet eodem die quo mane oritur, vespere occidit, q. d. Ne sicut flores verni illico defluatis, divina ira quasi turbine vos deculiente,